

impetravit a vobis. Unde supplicat, ut, cum ipse in eodem monasterio animam suam melius, quam alibi salvare confidat^a, abbati et conventui dicti monasterii in virtute obediencie precipiendo mandare dignemini, ut eum in ipso monasterio recipiant salva ordinis disciplina, contraria eiusdem ordinis constitutione non obstante.¹

Item petitur scribi super hoc abbati Premonstratensi, ut eum ibi recipi faciat premissis non obstantibus.²

n. 58: Über den hl. Dominikus.³

Vir erat^a nomine Dominicus, rectus ac timens Deum, qui vita conformata nomini et opere respondente vocabulo in viis Domini ambulabat; fide constans, devocione sincerus, caritate fervens, paciencia placidus, pietate benignus mandatorum Domini observanciam predicavit, vite magisterio et operum exemplari. Corde purus, consciencia mundus, corpore castus, dulcis aspectu, humilis verbo, lingua facti vias Domini enarrabat. Mundus eum^b diviciarum rebus non involvit, nec deliciarum allexit illecebris, qui se ipsum abnegans, ut Dominum sequeretur, carnis desideria fugit, voluptates corporis abdicavit; et elegit mundo mori vivus, ut Domino viveret mortuus, et noluit vivere mundo, ut moreretur in Christo. Inter homines angelica sapiebat et in terris animo versabatur in celis.

n. 61: Ein päpstlicher Auditor gibt Auftrag, die Parteien zu einem Gerichtstermin zu laden.

Cum causam, que vertitur inter venerabilem patrem I. ex una parte et dilectum in Christo H. prepositum talis loci ex altera, dominus papa nobis commisit^a audiendam, auctoritate, qua fungimur in hac parte, vobis mandamus, quatinus peremptorie partem citetis^b utramque, ut infra mensem post tue citacionis edictum cum omnibus actis et munimentis cause per se vel per procuratorem ydoneum compareant coram nobis, iustam dante Domino sententiam recepturi. Quicquid super hoc feceritis, nobis sub forma publica rescribatis.

57. ^a) folgt quatenus R 58. ^a) So wohl eher als virebat R ^b) folgt tñ getilgt R 61. ^a) So R ^b) scitetis R

¹) Das in n. 56 erwähnte Papstschreiben entsprach dieser Supplik.

²) Vgl. den entsprechenden Brief n. 56. ³) Da in dem kurzen Stücke jeder Hinweis auf die Heiligschaft des Dominikus fehlt, so möchte man geneigt sein, die Abfassung zwischen Tod und Kanonisation zu setzen (1221—1234).